

Johann Christian Wilhelm Meyer


## **Commentatio, Qva Ivs Excommvnicandi Ecclesiae Vindicatvr**

Goettingae: Typis Hagerianis, A. MDCCLIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893137111>

Druck Freier  Zugang





383

a. B.  
48. b. 8.

16.

Fa - 1092 (16.)

2

23.

4

22

3

22

6.


1

9

1

1

13.



2

23.

4


22

3

22

6.

13.



24.

COMMENTATIO,  
QVA  
IVS EXCOMMVNICANDI  
ECCLESIAE  
VINDICATVR

A  
IOANNE CHRISTIANO GVILIELMO  
MEYER

ENGTERA - OSNABRVGENSI  
SANCTIORIS DOCTRINAE ET PHILOSOPHIAE CVLTORE.



---

GOETTINGAE  
TYPIS HAGERIANIS. A. MDCCLIII.



24

COMMENTATIO

QUA

IVS EXCOMMVNICANDI

ECCLESIAE

VINDICATAE

IOHANNIS CHRISTIANO GUILIELMO

MEYER

INGENII

SAVCTISSIMAE DOCTRINAE ET THEOLOGICAE FACULTATIS



GETTINGER

FRANCOFURTI A. MDCCLXXIII

20

VIRO  
ADMODVM REVERENDO DOCTISSIMO  
MERITISSIMO

ARNOLDO MEYER

ECCLESIAE ENGTERENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO

P A T R I S V O

AD CINERES VSQVE SVMMA PIETATE  
COLENDO

FELICIA NOVI ANNI AVSPICIA  
APPRECATVRVS

TENVEM HANC OPELLAM  
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA

CONSECRAT  
FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS.

26

27

VIRI  
ADMIRANDI REVERENDI DOCTISSIMO

MERITISSIMO

ARNOLDO MEYER

ECCLIAE ENOSTERENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO

P A T R I S V O

AD CINERES VSAE SUMMA PIETATE

COLENDO

FELICIA NOVI ANNI AVSENCIA

AVPREGATVS

• TENEM HANC OPIELAM

EA QVA DECEAT OBSERVANTIA

CONNECT

PIVVS OBSERVATISSIMVS

PATER DILECTISSIME!

**N**on gloriae cupiditate, non consuetudine aut  
 coeco quodam imitandi studio abreptus, sed gra-  
 vissimis ductus commotusque rationibus Tibi  
 Optime Pater! hasce pagellas offero. Nil, nisi  
 irresistibilis animi mei instinctus, Tibi immor-  
 talem meam erga Te pietatem gratissimique a-  
 nimi affectum pro innumeris in me collatis be-  
 neficiis publice declarandi, ad calamum arripien-  
 dum me compulit. Tanta sane est Tuorum,  
 quibus me cumulasti, beneficiorum multitudo,  
 ut ea verbis exponere frustra tentarem, quae  
 ne cogitando quidem adsequi possum. Non iam  
 praedicabo, quam egregie optimi parentis officio  
 functus sis, sed ex innumeris illis beneficiis, qui-  
 bus

26

27

LIBI

bus me adfecisti, id modo adferam, quod vel  
vnum, quam magnum & infinitum sit, quod  
Tibi debeo, satis probare poterit. In Te non  
tantum parentem optimum & maximum felici-  
tatis meae promotorem, imo, quod sine simu-  
lationis suspicione dicere possum, summum  
meum inter mortales benefactorem veneror, sed  
etiam studiorum meorum auctorem atque mo-  
deratorem. Nulla vnquam oblivio, nulla vetu-  
stas mihi gratissimam illarum horarum memo-  
riam eripiet, quibus me Ipse in omnibus, quae  
aetas mea capiebat, instituisti & primum mihi  
ad literas instinctum impreslisti, quem quotidie  
nouis stimulis corroborasti. Sed longius adhuc  
progrediebatur Tua Pater Exoptatissime! erga  
me beneficentia. Liberalitas Tua, quam quo-  
tidie adhuc experior summam, omnia mihi lar-  
gita est media, quae ad ingenium meum in illis  
scientiis, quibus me deuoui, tam in illustri Gy-  
mnasio patrio, quam in Academiis excolendum  
aliquid conferre poterant. Insignem & praecla-  
ram

24.  
ram patris erga filium munificentiam! Qui erga  
Te Pater Optime! gratus satis unquam videri po-  
tero? Nunquam quidem satis, publicum tamen  
faltim gratisimi mei erga Te animi monumen-  
tum exstare volo. Arrogantissimus sane essem,  
si existimarem, hanc opellam ingenio perfectam  
satisque perpolitam & dignam esse, quae oculis  
Tuis subiceretur: quid enim est, quod Tibi of-  
fero, nisi fructus agri inculti immaturus? Verum,  
hoc me deterrere non potuit, cum persuasus sim  
illam aequum habere arbitrum, si qua errores  
commisero, immaturitati ingenii facile condo-  
naturum. Accipias haec Pater Dilectissime! non  
tanquam doctrinae & eruditionis specimen, sed  
tanquam publicum & perpetuum mei erga Te  
amoris, pietatis atque gratitudinis monumen-  
tum. Sed quid multa? novus, quem secundis  
auspiciis inchoamus, annus candidissima jam a  
me efflagitat vota. Deus, cuius gloriae illustra-  
tionem in ecclesia, fidei Tuae concredita, ora-  
tione & exemplo promotes, Te Pater Dilectif-  
sime!

20  
sime! ad Nestorios usque annos saluum & incol-  
lumem seruet: largiatur Tibi porro vires officio,  
ad quod Te vocauit, satisfaciendi: dulces Tibi  
reddat labores Tuos per multiplices fructus stu-  
diorum Tuorum ad ecclesiam, Tibi traditam,  
docendam & aedificandam tendentium. Vota  
mea sunt iustissima, & hinc confido, benignis-  
simum numen ea in ecclesiae, cui seruis, emol-  
umentum meumque solatium impleturum esse.  
Sed ne existimes, illa esse ab occasione elicitæ &  
annue tantum a me fieri solita: quotidie haec  
sunt obiectum ardentissimarum precum, quas  
pro Tua salute ad deum fundit.

PATER DILECTISSIME!

GOETTINGAE  
MPSIS CALENDIS IANVARII

A. 1753.

TVVS

OBSEQUIOSISSIMVS OBSTRACTISSIMVSQVE

FILIVS

IOAN. CHRIST. GVIL. MEYER.



26

27

### Sectio I.

Exhibet propositionis demonstrationem.

§. 1.

**C**ultus Dei est assumptio perfectionum divinarum pro moti- *Cultus Dei*  
vis actionum. *quid?*

§. 2.

Quicquid est motivum agendi, illud antea ab intellectu *Requirit cog-*  
cognosci debet; voluntas enim determinatur per repraesenta- *nitionem per-*  
tiones intellectus (per Psychol.). Qui Deum colit, perfectio- *fectionum di-*  
nes illius pro motivis actionum adsumit (per def. §. 1.); ergo *vinarum.*  
qui Deum colit, perfectiones illius cognoscere debet siue ad  
cultum Dei requiritur cognitio perfectionum divinarum.

*Schol.*

Conferri meretur h. l. Viri Magnifici I. P. Reuschii, Prae-  
ceptoris quondam mei nunquam satis devenerandi, eruditissima  
Dissertatio de imperio voluntatis in intellectum.

§. 3.

Ad cultum Dei requiritur cognitio perfectionum divina- *Duae sunt il-*  
rum (§. 2.) & actiones ex motivo harum perfectionum susceptae *lius partes.*

A

(vi



(vi def. §. 1.): duae igitur sunt cultus diuini partes, cognitio scilicet perfectionum diuinarum & actiones, quarum motiua sunt illae perfectiones.

## §. 4.

*Religio, religionem profiteri quid?*

*Religio est cultus Dei determinatus, & qui in illum con-*  
*fentit, religionem illam profiteri dicitur.*

*Schol.*

Eadem est, quoad sensum, definitio, quam de religione dedi, cum definitione aliorum, e. g. Celeberrimi Reuschii in Introductione in Theol. revel. §. 27., qui illam definiunt per modum deum colendi. Quibus verbis Excellentissimus auctor, nisi me omnia fallunt, nihil aliud innuere vult, quam quod religio sit species seu certum cultus diuini indiuiduum. Sed omne indiuiduum est determinatum & vice versa (per ontol. cf. Celeberrimi Polzii, philosophiae Doctoris in Academia Ienensi Diss. de notione indiuidui.) En conuenientiam illarum manifestam! sed nostram definitionem hic praeferre, accommodatior illius ad praesentem tractationem ratio fuisse.

## §. 5.

*Du e sunt illius partes.*

*Religio est cultus Dei determinatus (§. 4.). Cum igitur cultus diuini duae dentur partes (§. 3.), eadem quoque sunt partes religionis: videlicet 1) cognitio perfectionum diuinarum, 2) actiones ex illarum motiuo susceptae,*

## §. 6.

*Societas quid?*

*Societas est consensus plurium de communi re obtinenda.*

## §. 7.

*Ecclesia quid?*

*Ecclesia est societas eorum, qui eandem religionem profitentur (§. 4.).*

*Schol.*

Schol. ἡ ἐκκλησία ἢ ἡ ἐκκλησία

Ecclesia est vox origine Graeca descendens a secunda praeteriti passivi persona verbi ἐκκαλεω. Α κκλησαι enim est κλησις vocatio, & hinc ἐκκλησια, quasi evocatio. Exinde apparet, etymologice vocem ecclesiae denotare segregationem vi particulae ἐκ & congregationem vi τὴ καλεῖσθαι. De convenientia & disconvenientia illius cum vocabulis cognatione cum illa coniunctis videatur Ammonius in libro de similibus & differentibus vocabulis & speciatim cum vocabulo συναγωγῆς Celeberrimus Iac. Carponius Theol. reuel. dogmaticae Tom. III. §. 2. Schol. 3. Ebraei illud exprimunt vel per הִקְרָו unde per metathesin הִקְרָו congregatio 1. Sam. XIX. 20. a. r. הִקְרָו congregavit, vel per הִקְרָו conuentus hora & loco determinato congregari solitus Exod. XII, 3. a. r. הִקְרָו constituit, condixit, vel etiam per אָרַב conuocatio conuentus Exod. XII, 16. a. r. אָרַב vocavit, nec non per הִקְרָו coetus, collectio Joel II, 14. a. r. הִקְרָו detinuit, praevaluit. Vocabulum Germanicum Kirche forsitan a praedicatione ecclesiae, quo κηριακη vocatur, descendit. Ad ὁμωνυμιαν vocis ecclesiae quod attinet, illa non tantum de coetibus sacris, sed etiam profanis usurpatur e. g. apud Thucydidem συλλεγειν ἐκκλησιαν Aristophanem μη ποιειν ἐκκλησιαν τοις θεαξι & alios. Aliquando etiam significat locum, quo coetus sacer colligitur e. g. apud Lucianum in dialogo Merc. & Maiae: σκρην το συμποσιον δει και διασρωσαντα την ἐκκλησιαν & Demosthenem pro coron: οἱ μὲν προτανειν την βελην ἐκαλθεν τὸ βουλευτηριον, ἡμεῖς δὲ εἰς την ἐκκλησιαν ἐπορευεσθαι. Possem alios adhuc ecclesiae significatus adiicere; sed sufficiat, me hos, quasi aliud agendo, illustrationis gratia annotasse. Quo sensu a me sumatur, ex definitione data apparet.

§. 8.

*Finis societatis* est id; propter quod societas agit. Societas agit propter rem communem obtinendam (§. 6.); res igitur communis a societate obtinenda est finis eiusdem. Sed res illa communis determinata est differentia societatum specifica

*Finis societatis quid? is differentia illius specifica.*

A 2

(per

(per def. Soc. in genere § 6.); ergo differentia societatis specifica est finis illius.

Schol.

Differentia specifica quid?

Differentia societatis specifica est character illius, per quem ab omnibus aliis distingui potest.

Observatio.

Quae in Spho de fine, quod scilicet is sit differentia societatum specifica, dixi, de societate tantum aequali, de qua infra (§. 57.) agitur, intelligendum est. In societatis enim inaequalis differentia specifica determinanda membra quoque in censum veniunt. Sed hoc demonstrationem nostram non infringit, cum ecclesia, vt infra sine hoc principio demonstrabitur, sit societas aequalis.

§. 9.

Finis ecclesiae est eiusdem religionis professio.

Ecclesia est societas (§. 7.); differentia illius specifica est eiusdem religionis professio (ib. coll. §. 8. Schol.). Differentia autem societatis specifica est finis eiusdem (§. 8.); finis ergo ecclesiae est eiusdem religionis professio.

§. 10.

Quoad Theoriam & Praxin.

Religionis duae sunt partes, cognitio scilicet perfectionum diuinarum determinata & actiones, quarum motiua ex hac cognitione sunt petita (§. 5.). Eiusdem religionis professio est finis ecclesiae (§. 9.); profiteamur autem religionem, dum in illam consentimus (§. 4.): Consensus igitur in determinatam illam perfectionum diuinarum cognitionem, quam ecclesiae pro vera habet, & actiones, ex illarum motiuo suscipiendas, est quoque finis ecclesiae. Primam religionis partem, scilicet cognitionem, Theoriam; alteram vero, cuius obiectum sunt actiones, eiusdem Praxin breuitatis gratia vocabimus. Theoria itaque & Praxis religionis sunt fine. ecclesiae.

§. 11.

## §. 11.

Finis, qui est ratio alterius finis obtinendi dicitur *finis intermedius*. *Finis intermedius quid?*

## §. 12.

Theoria religionis porrigit motiua ad praxin (§. 10. coll. §. 2.). Motiuum autem est ratio actionis suscipiendae; vnde theoria religionis continet rationes praxeos. Cum igitur & theoria & praxis religionis sint fines ecclesiae (§. 10.); theoria, quia rationes praxeos subministrat, est finis ecclesiae intermedius. *Theoria rel. est finis ecclesiae intermedius.*

## §. 13.

*Nexus* inter duo existit, si unum continet rationem alterius. *Nexus obligatio* vocari conuenit, si unum continet rationem actionis. *Nexus obligatio quid?*

## §. 14.

Religionis duae sunt partes, theoria videlicet & praxis (§. 10.). Theoria religionis complectitur cognitionem Dei (ib.) ad cognitionem Dei vero, tamquam summi boni, dari obligationem, de eo nemo, nisi principiorum iuris naturalis omnino-ignarus, dubitare poterit. Datur igitur obligatio (§. 13.) ad religionis theoriam. Theoria religionis porrigit motiua ad praxin (§. 12.) motiua autem exhibent rationes actionum (ib.); ergo theoria ad praxin obligat (§. 13.). Hinc certissimum est, dari obligationem ad vniuersam religionem, *Ad religionem datur obligatio.*

## §. 14.

*Lex* est propositio, obligationem (§. 13.) exprimens. *Lex quid? omnis obligatio est legi conformis.* Vbiunque igitur datur lex, ibi etiam obligatio adfit oportet; & quia omnes cogitationes signis exprimi possunt (per exper.), omnis obligatio in legem abire potest & actu abit, si signis exprimitur. Quis iam non videt, obligationem exsistere non posse, quae legi non sit consentanea?

## §. 16.

*Religio est legi conformis.*

Omnis obligatio & per consequens omnis res, ad quam datur obligatio, legi conformis est (§. 15.); ad religionem datur obligatio (§. 14.): ergo religio est legi consentanea.

## §. 17.

*Societas legitima quid?*

*Societas legitima est, cuius finis legibus non repugnat.*

## §. 18.

*Ecclesia est talis.*

Ecclesia est societas (§. 7.) cuius finis est religio (§. 9.). Religio adeo nulli legi repugnat, ut potius omnibus quam maxime consentanea sit (§. 16.). Ecclesia igitur est societas legitima (§. 17.).

## §. 19.

*Moraliter possibile, ius quid?*

*Moraliter possibile est, quod legibus non repugnat. Possibilitas agendi moralis ius vocatur. Quicquid itaque est moraliter possibile, ad id quoque ius datur.*

## §. 20.

*Soc. legit. habet ius ad finem suum.*

Societatis legitimae finis legibus non repugnat (§. 17.) est igitur moraliter possibilis (§. 19.). Sed ad omne moraliter possibile ius est (§. 21.); ergo quaelibet societas legitima habet ius ad finem suum.

*medium quid?*

## §. 21.

Quicquid continet rationem finis *medium* vocatur.

## §. 22.

*Soc. legit. habet ius ad media finis sui.*

Media, rei cuidam in actum traducendae sufficientia, si simul sumantur, continent rationem finis sufficientem. (§. 21.); sine ratione autem sufficiente nihil existere potest (per ontol.): cui igitur competit ius ad finem, eidem quoque ius ad media concedendum est. Cum itaque omnis societas legitima habeat ius ad finem suum (§. 20.) eidem etiam ius ad media competat oportet.

§. 23.

( 0 )

7

§. 23.

*Impedimentum finis*, opposita ratione declarandum, est omnino id, quod continet rationem non-existentiae finis.

*Impedimentum quid?*

§. 24.

Sine remotione impedimentorum finis existere non potest (per def. §. 23.): actio itaque, qua impedimenta remouentur, continet quoque rationem finis & per consequens est medium (§. 21.). Cum itaque societati legitima competat ius ad media (§. 22.), eidem quoque ius ad impedimenta remouenda tribuendum est.

*Soc legit. habet ius ad impedimenta remouenda.*

26

§. 25.

Ecclesia est societas legitima (§. 18.); quaelibet Societas legitima habet ius ad finem suum (§. 20.), mediaque eidem obtinendo inservientia (§. 22.), in quorum classem remotio impedimentorum quoque est referenda (§. 24.). Ecclesia ergo quoque ius habet ad finem suum eiusdemque media, nec non remotionem impedimentorum.

*Ecclesia habet ius ad finem, illius media &c.*

27

§. 26.

Finis ecclesiae est eiusdem religionis professio (§. 9.), ecclesia habet ius ad finem suum illiusque media, quo pertinet remotio impedimentorum (§. 25.): ergo ecclesia habet ius ad religionem mediaque ad eam promouendam conducuntia, nec non impedimenta remouenda.

*Ergo etiam ad religionem, eius media &c.*

§. 27.

Finis societatis eiusdem *salus seu bonum publicum* vocatur. Quicquid igitur (§. 26.) de iure ecclesiae ad finem diximus, illud etiam hic valet.

*Bonum Soc. publicum quid?*

§. 28.

Complexus iurium ecclesiae competentium vocatur *potestas ecclesiastica*. Sed quia ius bonum suum publicum promouendi

*potestas ecclesiastica quid?*

uendi est fons omnium illius iurium specialium, potestas ecclesiastica commode definitur per ius bonum suum publicum promouendi; quod quoniam ecclesiae competit (§. 27.), de potestatis ecclesiasticae existentia nemo dubitare poterit.

## §. 29.

*Ecclesia habet ius impedimenta partium religionis remouendi.*

Religionis duae sunt partes, theoria scilicet & praxis (§. 10.); religio autem est bonum ecclesiae publicum (§. 27.): duplici igitur modo salus seu bonum ecclesiae publicum turbari tantum potest, scilicet per impedimenta aut theoriae aut praxi religionis opposita. Ecclesia habet ius impedimenta, quae bono suo publico obiciuntur, remouendi (§. 25. 27.): ergo iure quoque gaudet, impedimenta, partibus illius, nempe aut theoriae aut praxi, opposita remouendi.

## §. 30.

*Doctrina ecclesiae fundamentalis, error fundamentalis quid?*

Propositiones, sine quarum assumptione ecclesia neminem in membrorum suorum numerum recipit *doctrinam* seu *theoriam ecclesiae fundamentalem* constituunt; propositio autem huic doctrinae contraria vocatur *error fundamentalis*.

## §. 31.

*Haeresis, haereticus quid?*

*Haeresis* est pertinax erroris fundamentalis (§. 30.) defensio, a membro ecclesiae facta, & qui illam committit, *haereticus* dicitur.

*Schol.*

*Consensus Io. Gerhardi.*

Eadem, quae in Spho praec. haeretici posuimus requisita, ponit etiam b. Io. Gerhardus Loc. Theol. Tom. VI. Cap. de Minist. eccles. §. 371. p. m. 622. Requirit scilicet

- 1) ut sit membrum ecclesiae,
- 2) erret in fide, i. e. in theoria religionis,
- 3) hic error sit fundamentalis,
- 4) errori coniuncta sit pertinacia,
- 5) dissensiones in ecclesia excitet.

Priora

Priora quatuor haeretici requisita definitionem nostram inuoluere, nemo dubitabit. De 5to autem requisito dubius forsitan adhuc esse poterit lector non satis attentus, quamquam prono ex definitione nostra fluat alueo. Requiritur enim ad haeticum, vt errorem suum defendat. Sed quid quaeso aliud est defensio propositionis, nisi conatus obiectiones alterius contra eandem refellendi, & quod inde sequitur, dissentientem de ea convincendi? Quis vero iam non videt, haeticum, secundum definitionem nostram, necessario dissensiones excitare debere? Pandectae sacrae haeticum describunt Rom. XVI, 17. quod *διχόασιας* & scandala contra salutarem doctrinam pariat. Quorum verborum exactus cum definitione nostra est consensus, si ea, quae supponunt & inuoluunt rite perpendantur.

## §. 32.

Haeticus per defensionem erroris fundamentalis pertinemenciam turbat partem boni publici ecclesiae, quam theoriam fundamentalem (§. 30.) vocauimus. Ecclesia vero iure gaudet, impedimenta boni sui publici, cuius pars est theoria fundamentalis (§. 10.) remouendi (§. 25.); ergo ecclesia habet ius conatus haeretici, quousque bonum suum publicum impediunt, reprimendi.

*Ecclesia habet ius conatus haeretici reprimendi.*

## §. 33.

*Crudelis* vocatur, qui duriora adhibet media, quam ad finem consequendum sunt necessaria.

*Crudelis quid?*

## §. 34.

Ecclesia habet ius, conatus haeretici, quousque bonum suum publicum impediunt, reprimendi (§. 32.); bonum ecclesiae publicum est eiusdem religionis professio (§. 9. 27.); ne itaque conatus haeretici bono ecclesiae publico amplius aduersentur, aut ille per conuictionem de doctrinae suae falsitate & illius, quam ecclesia profitetur, veritate ad eiusdem religionis professionem reducendus, aut ab ecclesia remouendus

*Media ad conatus haeretici reprimendos.*



est. Posterius medium sine dubio est durius priori. Ne igitur ecclesia evadat crudelis (§. 33.), prius medium ad emendationem haeretici adhibendum est, antequam ad posterius progrediatur.

## §. 35.

*Ecclesia habet ius haereticum ex numero membrorum suorum excludendi.*

Haereticus aut convictionem admittit, aut non. Si prius, definit esse haereticus (§. 31.): si autem posterius, aliter sentiendum est. Ecclesia possidet ius conatus haeretici, quousque bono suo publico aduersantur, reprimendi (§. 32.). Ne euadat crudelis (§. 33.), medium quidem lenius duriori praeferre debet, sed hoc frustra adhibito, necessario ad durius ipsi progrediendum est, si bonum suum publicum conservare velit. Durius medium est exclusio haeretici a societate ecclesiae (§. 34.); Ecclesia itaque habet ius haereticum sub his circumstantiis ex numero membrorum suorum delendi.

## §. 36.

*Excommunicatio ius excommunicandi quid? illud ecclesia habet.*

Deletio alicuius ex numero membrorum ecclesiae *excommunicatio*, & ius hanc exercendi *ius excommunicandi* vocatur. Ecclesia igitur habet ius excommunicandi (§. 35.).

*Schol.*

Excommunicatio vulgo diuiditur in maiorem & minorem. Illa est plena a societate ecclesiae exclusio, haec qua usum tantum sacrorum. Prima viguit in ecclesia christiana a primis illius incunabilis; posterior autem recentiori demum aevo saec. XIII. sub Innocentii III. auspiciis inualuit.

## §. 37.

*Quid scan- lum? &c.*

Alter pars boni publici ecclesiae est praxis (§. 10.), quae actionibus, quarum motiua ex theoria religionis sunt desumpta (ibid.), absoluitur. Huic impedimenta ponuntur aut per corruptionem theoriae, ex qua motiua repetuntur, aut per actiones, quae mouent ad actiones praxi religionis, quam eccle-

ecclesia profitetur, contrarias, quas *Scandala* vocabimus. Si prius, adest haereticus, de quo in superioribus §his iam egi: de posteriori autem casu iam mihi differendum est.

§. 38.

Hominem, qui Scandala (§. 37.) praebet *scandalosum* appellabimus.

*Scandalosus quid?*

26

§. 39.

Ecclesia habet ius bonum suum publicum promouendi (§. 27.) & impedimenta ipsi opposita remouendi (ib.): scandalosus (§. 38.) alteri parti boni publici ecclesiae, scil. praxi religionis impedimenta ponit (§. 37. 38.); ergo ecclesia habet ius, conatus scandalosi reprimendi, ne bonum suum publicum exinde ulterius detrimentum capiat.

*Ecclesia habet ius conatus scandalosi reprimendi.*

27

§. 40.

Duo iterum se offerunt media, quibus scandalosi conatus eatenus refrenari possunt, ne bono ecclesiae publico amplius noceant. Scandalosus scilicet amice monendus est, ut scandala praebere desinat: si autem monita apud illum non valent, a societate ecclesiae excludendus est. Cum igitur ecclesiae ius, conatus scandalosi, quatenus bono suo publico aduersantur, reprimendi, competat (§. 39.), eadem quoque ius habet, illum de scandalis componendis monendi, & si monita effectu careant, illum ex numero membrorum suorum delendi. Ne tamen euadat crudelis (§. 33.), prius medium, quod lenius est, semper posteriori praeferre & tum demum ad posterius progredi debet, si per monita emendatio scandalosi frustra tentata sit.

*Media.*

§. 41.

Ecclesia habet ius, scandalosum, qui amice monitus atmen scandala praebere pergit, ex numero membrorum suorum

*Ecclesia habet ius scandalosum excommunicandi.*

B 2

delendi (§. 40.); ergo ecclesia habet ius scandalosum sub his circumstantiis excommunicandi (§. 36.).

## §. 42.

*Duo tantum casus sunt, quibus ecclesia iure excommunicare potest.*

Quamdiu membrum ecclesiae bono ecclesiae publico non ponit impedimenta, tamdiu cessat ratio excommunicationis (per antec.). Bono ecclesiae publico duplici tantum modo impedimenta obici possunt, scilicet per haeresin (§. 31.) & scandala (§. 37.): duo itaque tantum existunt casus, qui ecclesiae ius excommunicandi largiuntur.

*Schol.*

Quoniam excommunicatio semper sufficit ad bonum ecclesiae publicum conservandum illiusque impedimenta removenda (per demonstrata), ecclesiae non licet ulterius v. g. ad tormenta, ferrum & ignem, quinimo caedem haeretici aut scandalosi progredi.

## §. 43.

*Limes quid?*

*Limes* est id, ultra quod aliquid non progreditur. Ex paragrapho praecedenti igitur limites iuris excommunicandi apparent.

## §. 44.

*Promissum, acceptatio quid?*

Significatio, me aliquid in salutem alicuius suscipere velle, *promissum* & consensus alterius in hoc promissum illius *acceptatio* salutatur.

## §. 45.

*Pactum bilaterale, unilaterale quid?*

*Pactum* est promissum acceptatum. (§. 44.). Ad quodlibet pactum itaque requiruntur duo, promittens nempe & acceptans. Acceptans aut aliquid repromittit, aut non. Si prius, *pactum bilaterale*, si posterius, *pactum unilaterale* existit.

*Societati adscribendus debet velle, media finis societatis.*

## §. 46.

Societas existit, si plures ad communem finem obtinendum consentiunt (§. 6.). Quicumque igitur vult societati nomen

men dare, ille in finem illius consentire seu eundem velle debet. Qui vult finem, velit etiam media necesse est; nam finis sine mediis existere non potest (§. 22.). Quicumque igitur societati adscribi cupit, debet velle media fini illius obtinendo infervientia.

## §. 47.

In virium nostrarum, siue internarum siue externarum, siue vtrarumque usu deprehenditur ratio existentiae finis (per exper.); usus itaque virium nostrarum est medium finis obtinendi (§. 21.). Sed quodlibet societatis membrum debet velle media fini illius obtinendo conducentia (§. 46.); ergo quodlibet societatis membrum debet velle uti viribus suis ad finem societatis communem obtinendum.

*Ergo usum virium suarum ad finem societatis obtinendum.*

26.

27

## §. 48.

Quodlibet societatis membrum debet velle uti viribus suis, ut finis communis seu bonum publicum societatis obtineatur (§. 47.); debet quoque hanc voluntatem societati significare & societas illam acceptare (§. 44.), si in numerum membrorum societatis recipiendum est. Sine his actibus enim receptio alicuius in societatem concipi nequit (per def. soc.). Quicumque igitur societati vult adscribi, debet promissum praestare, quod a societate acceptandum est. Promissum acceptatum est pactum (§. 45.); ergo quicumque membris societatis vult adnumerari, debet pactum cum societate inire.

*Membrum societati adscribendum pangit pactum.*

## §. 49.

Quodlibet membrum societatis seu uniuersa societas promittit usum virium suarum ad communem finem obtinendum (§. 48.). Membrum societati addendum consentit in hoc societatis promissum. Intendit enim finem societatis (§. 6.), qui communibus viribus est obtinendus (§. 47.). Nouum societatis membrum etiam usum virium suarum societati promittit, societasque illius promissum acceptat (§. 48.). Si vero

*Idque bilaterale.*

promissum alterius acceptans alteri aliquid repromittit, pangitur pactum bilaterale (§. 49.); ergo societati adscribendus cum societate ferit pactum bilaterale.

## §. 50.

*Canones de pacto.*

Quicumque societati adscribitur, cum ea pactum idque bilaterale init. (§. 49.). Quicquid igitur de pacto, eoque speciatim bilaterali valet, id etiam in hoc casu valere debet. Sed quod in iure naturali demonstratur,

- 1) pactum est seruandum,
- 2) in pacto bilaterali duo existunt pacta (per def.); ergo utraque pars promisso suo ab altera parte acceptato stare debet,
- 3) pactum bilaterale ab utraque parte sub ea conditione pangitur, ut altera pars etiam pactum suum seruet. Si itaque
- 4) altera pars pangens pactum suum non seruat, altera eo ipso pacto suo liberata est illudque reuocandi ius habet.

## §. 51.

*Membrum ecclesiae init pactum bilaterale.*

Quicumque societati adscribitur, pangit cum illa pactum bilaterale (§. 49.); ecclesia est societas (§. 7.): ergo quicumque membrum ecclesiae additur, init cum ecclesia pactum bilaterale.

## §. 52.

*Si membrum ecclesiae pactum suum laedit, ecclesia quoque pactum suum reuocare potest.*

Si in pacto bilaterali altera pars pangens pactum suum non seruat, altera pars etiam pacto suo liberata est (§. 50.). Quicumque autem membrum ecclesiae adnumeratur, ferit cum ecclesia pactum bilaterale (§. 51.). Si igitur membrum ecclesiae pactum cum ecclesia initum laedit, nec ecclesia amplius obligata est ad pactum suum seruandum, sed summo iure illud reuocare potest.

## §. 53.

Membrum societatis promittit, se vires suas ad communem finem seu bonum societatis publicum adhibere velle (§. 47.); bonum ecclesiae publicum est eiusdem religionis professio (§. 27.); ergo membrum ecclesiae eiusdem, quam ecclesia pro vera habet, religionis professionem promittit. Ecclesia illud sub hac conditione recepit viresque suas cum illius viribus, ad communem finem obtinendum, coniungere repromittit. Si itaque membrum ecclesiae promisso suo non stat, sed potius impedimenta bono ecclesiae publico ponit, ecclesia illud quoque non amplius pro membro suo habere obligatur, pactumque suum reuocandi, i. e. illud ab ecclesia excludendi, ius habet.

*Ecclesia habet ius membrum, quod pactum laedit, ab ecclesia excludendi.*

26

27

## §. 54.

Ecclesia habet ius, membrum, quod pactum suum laedit, ab ecclesia excludendi seu, quod idem est, ex numero membrorum suorum delendi (§. 53.). Ecclesia igitur habet ius, membrum, quod pactum suum laedit, excommunicandi (§. 36.).

*i. e. excommunicandi.*

## §. 55.

Si membrum ecclesiae pactum suum seruat, ecclesia quoque pactum suum seruare debet (§. 50. 51.) Extra laesionem pacti igitur non datur ratio excommunicationis iustifica.

*Extra laesionem pacti non datur ratio excommunicationis iustifica.*

## §. 56.

Membrum ecclesiae pactum suum laedit, si eandem, quam ecclesia religionem non profitetur (§. 53.), extra laesionem pacti autem non adest iusta excommunicandi ratio (§. 55.). Eosdem igitur vides iuris excommunicandi limites, quos (§. 42.) demonstraui. Nam quia religionis duae tantum sunt partes (§. 5.), praeter haereticum (§. 31.) & scandalosum (§. 38.) ab ecclesia nemo iure excommunicari potest.

*Limites iuris excommunicandi.*

*Schol.*

## Schol.

Ecclesiam vero non statim quodlibet membrum, quod pactum suum aliquo modo laedit, excommunicare, sed leniora prius media (§. 34. 40.) adhibere debere, ex eadem, quam (ibid.) adduximus, ratione patet. Praeterea, quod quotidiana prohi dolor! experientia testatur, nullum ecclesiae membrum in praesenti statu lapsus pactum suum exacte servat. Si itaque ecclesia statim iure suo vteretur, omnis ecclesia cessaret, & ecclesia se ipsam, quod absolum est, excommunicare deberet. Vnde etiam apparet, satius esse, si ecclesia per excommunicationem minorem (§. 36. Schol.) emendationem excommunicandi tentet, antequam maiorem in auxilium vocet. Prudentiae ecclesiasticae praecepta non leuem hic usum praestabunt.

## Sectio II.

## De

## Modo exercendi ius excommunicationis.

## §. 57.

*Societas aequalis, inaequalis quid?* Quodlibet membrum societatis legitimae obligatur ad finem illius promovendum (§. 15. 17.); haec obligatio vel dependet a fine societatis, vel a membro quodam societatis: si prius, societas *aequalis*, si posterius, *inaequalis* existit. In societate igitur aequali nulli membro A, qua tali, competit ius in membrum B, quod membrum B non habeat quoque in membrum A seu vt evidentius exprimam: in societate aequali iura membrorum, qua talium, sunt aequalia.

## §. 58.

*Societas aequalis agit per suffragia.* In societate aequali iura membrorum, qua talium, sunt aequalia (§. 57.) quapropter in eadem singulorum membrorum par

par ius est de bono societatis publico (§. 27.) disponendi. Unde efficitur porro, cuilibet illius membro ius suffragii de negotiis societatis conuenire. Suffragiis autem eorum, quorum par ius est, in diuersas partes abeuntibus, necessarium est, vt minor suffragiorum copia maiori cedat.

## §. 59.

Quaelibet creatura rationalis obligata est ad cultum dei haec. *Ecclesia est* que obligatio ex ipsa cultus diuini indole demonstratur (per *societas aequalis.* princ. Iur. Nat.): religio est cultus dei determinatus (§. 4.), quaelibet igitur creatura rationalis ad religionem quoque obligata est & haec obligatio ex ipsa religionis natura concipitur. Ecclesia vero est societas (§. 7.), cuius finis est religio (§. 9.): ergo ecclesia est societas aequalis (§. 57.)

*Schol.*

Ecclesiam esse societatem aequalem, demonstrari quoque potest, si membra illius in ratione ponuntur. Exponens enim rationis semper est membrum ecclesiae, unde sequitur, ecclesiam esse societatem aequalium,

## §. 60.

In societate aequali iura membrorum, qua talium, sunt aequalia (§. 57.) & quod inde sequitur, negotia illius ab vniuersa societate per suffragia sunt administranda (§. 58.). Ecclesia est societas aequalis (§. 59.), hinc iura quoque membrorum suorum sunt aequalia, negotiaque ecclesiae per vnanimiam membrorum suffragia, saltem qua maiorem copiam, sunt gerenda. Cum itaque inter iura ecclesiae referendum quoque sit ius excommunicandi (§. 36.), sequitur, ius excommunicandi quoque omnibus ecclesiae membris aequaliter competere & per suffragia exercendum esse.

*Ius excomm. eccles. membris aequaliter competit & per suffragia exerceri debet.*

## §. 61.

C



## §. 61.

*Ecclesia ius  
excomm. qui-  
busdam tra-  
dere potest.*

Ex (§. 58.) manifestum est, ius excommunicandi originis uniuersae ecclesiae competere. Ius autem, quod cuidam originis competit, id alteri etiam administrandum tradere potest. Quilibet enim habet ius, de eo, quod suum est, quo etiam iura illius sunt referenda, disponendi. Vides igitur ecclesiam ius excommunicandi, quod originis suum est, optimo iure administrationi alius s. aliorum committere posse. Quoniam verò hoc ius pertinet ad *to* suum omnium ecclesiae membrorum, & quidem modo aequali (§. 58.), haec traditio iuste fieri non potest, nisi per omnium membrum consensum vel expressum vel tacitum.

## §. 62.

*Ecclesia re-  
praesentati-  
ua quid? ad  
eam consti-  
tuendam eccl.  
ius habet.*

Ille, s. illi, qui nomine totius ecclesiae illius negotia administrant, *ecclesia repraesentativa* audiunt. Ecclesiam ergo habere ius, ecclesiam repraesentatiuam constituendi, si omnia, saltem plurima membra vel expresse vel tacite consenserint; ex (§. 61.) manifestum est.

*Schol.*

Huc pertinent concilia vniuersalia & particularia, confistoria aliaque collegia ad gerenda ecclesiae negotia constituta, imo etiam personae singulares ecclesiae nomine agentes

## §. 63.

*Requisita  
membri ec-  
clesiae re-  
praesentati-  
uae.*

Negotia ecclesiae sunt actiones ad bonum ecclesiae publicum spectantes. Bonum ecclesiae publicum est eiusdem religionis professio (§. 9. 27.); religionis vero duae sunt partes, theoria scilicet & praxis (§. 10.): quicunque igitur negotiis ecclesiae administrandis praeficitur, religionis & quoad theoriam & quoad praxin cognitionem satis distinctam habere debet, ut, quid ipsi proficuum quid vero damnosum, vbiuis perspicere possit.

*Schol.*

*Schol.*

Quisquis igitur his dotibus instructus est, potest membrum ecclesiae repraesentatiuae fieri. At vero his non tantum Theologi eruditione & officio tales, sed etiam eruditione tantum tales gaudent. Imo scandala aliaque quaedam, de quibus iudicare debet ecclesia repraesentatiua, ita sunt comparata, vt sublimis Theologiae scientia ad ea perspicienda non requiratur. Hinc patet, Theologos eruditione tantum tales & etiam in quibusdam negotiis viros non-theologos negotiis ecclesiae praefici posse.

## §. 64.

Quaeris forsitan, an etiam ecclesiae expediat, ecclesiam repraesentatiuam constituere? ad quod affirmandum sequentes rationes non possunt non mouere. Propter alia negotia, quae membris ecclesiae rei publicae aut domesticae causa ad victum cultumque parandum perficienda incumbunt, fieri non potest, experientia suffragante, vt omnia ad eam religionis cognitionem adspirent, quae ipsi necessaria est, qui in negotiis ecclesiae vult versari (§. 63.). Praeterea membris ecclesiae ad eum numerum adscendentibus, vt fere impossibile, saltim maximis incommodis coniunctum sit, cuiusuis sententiam per suffragia explorare, rationi quam maxime consentaneam ecclesiaeque proficuum esse constitutionem ecclesiae repraesentatiuae, quis non videt? Addo, quod negotia ecclesiae ita interdum comparata esse possint, vt non patiantur moram, vniuersae ecclesiae conuocationi infumendam.

*An ecclesiae expediat eccles. repraes. constituere?*

*Schol.*

Ex demonstratis manifestum est ecclesiam aut vni aut pluribus negotia sua tradere posse. Cum vero, quod multi agunt, melius sinceriusque agatur, quam quod ab vnico fit, bonum ecclesiae publicum requirit, vt plures ad negotia sua gerenda eligat. Non enim tantum scientia & experientia vnius ignorantiae & imperitiae alterius succurrere, sed etiam sinceritas,

tas, iustitia & virtus aliorum alios, vt officio suo candide praesint, mouere potest. Tandem quoque moderatio quorundam vehementiam reliquorum temperare, nec non aliorum ardor alios torpentes & nimis remissiores excitare potest.

§. 65.

*Consensus  
scripturae  
sacrae.*

*Dictum I.*

Idem, quod hucusque de excommunicatione modoque eam exercendi demonstratum est, sacra quoque docet scriptura. Ne in eo tantum gloriari videar, quaedam dicta cum brevissima, pro scopo meo, explicatione adiiciam & quidem talia, quae hucusque ad hoc probandum excitata esse non memini. Primum ex Apoc. II, 2, desumptum est, cuius verba sunt:

οἶδα τὰ ἔργα σὺ, καὶ τὸν κόπον σὺ, καὶ τὴν ὑπομονὴν  
σὺ, καὶ ὅτι ἔδυνη βασιλεὺς κακῶς.

Epistola, cuius pars haec verba sunt, est prima ex septem illis epistolis ad septem angelos septem ecclesiarum in Asia minori datis & speciatim ad Angelum ecclesiae Ephesinae directa. v. r. Per angelum ecclesiae doctorem aut praepositum illius ecclesiae intelligendum esse, haud longa probatione egere videtur. Hic enim vocis ἀγγελος significatus non tantum in sacris literis non est inusitatus (vt ex Mal. II, 7. vbi de doctore ecclesiae dicitur אִתְּךָ הַכֹּהֵן וְהַיְהוּדִים & Cap. III, 1. vbi Iohanni praecursori idem nomen tribuitur, apparet, אִתְּךָ enim Ebraeis idem est, quod Graecis ἀγγελος), etymologiaeque illius, qua nuntium innuit, optime consentaneus, sed etiam praedicata, angelo hoc loco data, alium significatum prorsus prohibent. Dubitatione igitur superius est, doctorem ecclesiae Ephesinae hoc loco per ἀγγελον τῆς Ἐφεσίνης ἐκκλησίας intelligendum esse. Quia vero diuersi illorum erant gradus, quaeritur, quis speciatim hic innuasur? Mea quidem tenui sententia summus illius ecclesiae doctor h. l. adsumendus est, qui erat episcopus. Nam, vt alias iam rationes silentio praeterream, doctori h. l. moderatio atque regimen illius ecclesiae tri-  
bui-

buitur, vt a<sup>ct</sup>iones illius laudatae probant, quod est apud summum doctorem s. episcopum. Inter huius episcopi Ephesini laudes refertur: *ὅτι ἔδυνη βαρυσσά κακῆς*. Verbum βαρυσσά proprie significat baiulare onus quoddam Luc. XIV, 27. interdum idem, quod latinum ferre Matth. II, 11. Gal. V, 10. siue tolerare, qui posterior significatus h. l. vi contextus obtinere debet. Laudibus igitur Episcopi Ephesini adnumeratur, quod non toleret κακῆς, per quos & haeticos (§. 31.) & scandalosos (§. 38.) generali adpellatione innui, ex v. 14. 15. coniiici potest, vbi in angelo s. episcopo ecclesiae Pergamensis reprehenditur, vt mox dicam, quod Balaami discipulos & Nicolaitas tolerabat, quos & haeticis & scandalosis adnumerandos esse, nemo dubitare poterit, cui errores illorum innotuerit. Si vero Episcopus Ephesinus haeticos & scandalosos in ecclesia sua non tolerauit, sequitur quod eos ab eadem excluderet, & quia hoc est ipsa excommunicatio (§. 36.), quod eos excommunicauerit. Quum igitur sacra scriptura excommunicationis exercitium, ab Episcopo Ephesino factum, laude prosequatur, illud iustissimum esse diuinoque iure iuri, tamdiu verum est, donec demonstratum sit, sacram scripturam res illicitas atque iniustas laudibus dignari, quod magno Platonis an-  
no fiet.

## §. 66.

Alterum dictum, quod eod. Cap. v. 14. 15. legitur, se- *Dictum II.*  
quens est:

## v. 14.

*ἀλλ' ἔχω κατὰ σὲ ὀλίγα, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ κρατῆντας τὴν διδασχὴν Βαλααμ, ὃς ἐδίδασκε τὸν Βαλααμ βαλεῖν σκανδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ φαγεῖν εἰδολοθῦτα, καὶ πορνεύσασθαι.*

## v. 15.

*οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατῆντας τὴν διδασχὴν τῶν Νικολαιτῶν, ὁ μισθῶ.*

C 3

Quod

Quod supra de voce *αγγελος* disputavi, id etiam h. l. valet, & quidem h. l. Episcopus ecclesiae Pergamentis intelligendus est v. 12. De hoc saluator noster, hic enim loquitur in toto hoc capite cf. v. 27., dicit, quod habeat contra illum *ὀλιγα*. Per *ὀλιγα* h. l. non leuia quaedam, sed pauca denotari, satis probat grauiissima poena, Episcopo v. 16. iniuncta, si mores suos non mutauerit. Quid vero commisit Episcopus, quod tantam mereatur ultionem? Verba proxime sequentia ipsi exprobrant, quod habeat *εκα* i. e. in ecclesia Pergamentis, cuius Episcopus erat, quosdam Balaami & Nicolai erroribus addictos scandalaque ecclesiae praebentes i. e. haereticos (§. 31.) & scandalosos (§. 38.). Ad testandam summam suam displicentiam saluator v. 15. adhuc addit *ὀμισω*, quod odi. Cum itaque, vi antecedentium, haereticos & scandalosos in ecclesia habere, grauiissima poena maximoque sanctissimi saluatoris odio dignissimum sit, eosdem e sinu ecclesiae eiicere, iustissimum esse, quis sana mente praeditus Christianus dubitare poterit? Sed eiectio alicuius e sinu ecclesiae iterum est ipsa excommunicatione (§. 36.); unde iterum excommunicationem iustissimam eiusque omissionem ipsa poena diuina grauiissima dignam esse, sole clarius apparet.

§. 67.

Dictum III.

His addo Rom. XVI, 17. vbi Paulus dicit:

*παρακαλω δε υμας αδελφοι, σκοπειν τας διχοστασιας και τα σκανδαλα παρα την διδαχην, ην υμεις εμαθετε, ποιηντας και εκκλινατε απ' αυτων.*

H. l. Paulus, post Romanos salutatos, illos adhortatur, ut considerent s. attendant ad illos, qui dissidia & scandala contra doctrinam ecclesiae ab apostolis traditam excitant, *και εκκλινειν απ' αυτων* iubet. *το εκκλινειν* autem significat deficere ab aliquo Rom. III, 12. deserere aliquid seu se ab aliquo separare 1 Petr. III, 11. Paulus igitur vult, vt Romanorum ecclesia ab iis, qui doctrinae illius apostolicae contraria docent, & scandalis ecclesiam

fiam offendunt, i. e. haereticis (§. 31.) & scandalosis (§. 38.) se separet, illos deferat communionemque illorum vitet. In hoc vero consistit excommunicatio (§. 36.); ergo Paulus Romanos ad haereticos & scandalosos excommunicandos adhortatur, & quod inde sequitur, excommunicationem, prout a nobis demonstrata est, pro iusta declarat. Possem adhuc plura loca e. g. 2. Theff. III, 6. 14. 15. Tit. III, 10. aliaque adiicere, quae vero tam evidenter sunt, ut nulla plane explicatione indigeant. Haec quoque sufficiunt ad consensum scripturae sacrae cum nostra de excommunicatione doctrina demonstrandum. Ex locis enim in medium prolatis omni dubio superius est,

- 1) excommunicationem iure diuino niti,
- 2) obiectum illius esse haereticos & scandalosos
- 3) exercitium illius, quod vltimum dictum Rom. XVI, 17. probat, toti ecclesiae, in qua haereticus & scandalosus versatur, competere.
- 4) ecclesiam ius excommunicandi ecclesiae repraesentatiuae committere posse. Vi duorum priorum dictorum enim illud episcopi iure exercuerunt. Ille aut illi vero, quibus ius ecclesiae administrandum traditur, sunt ipsa ecclesia repraesentatiua (§. 62.): Episcopi igitur constituerunt ecclesiam repraesentatiuam (ibid.) & quidem quilibet in ecclesia sua. Vides igitur ea, quae de excommunicatione demonstrauimus, tam quoad excommunicationem ipsam, quam quoad modum eam exercendi, in sacris literis satis fundata esse.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


20

Index


1. Jo. Christ. Guil. Mejer (Prof. C. F. Ditzio) Demonstratio hominem integrum, qui progreditur ad statum confirmationis in bono, nobilitatem esse ac perpetuam creaturam bonis angelis.
2. Jo. Christ. Muller (Prof. Phil. Nic. Wolff) Demonstratio ex principis rationis dari corpora Angelorum.
3. De eo quod nimium est circa potentiam Diaboli adferendam. (Prof.)
4. Jo. Andr. Gottfr. Schickelg de Vita humana, imprimis ejus brevitate hodiernâ hujus, causis.
5. Jo. Frid. Dittor (Prof. Christ. Matth. Gaffio) de bonis animarum post mortem, contra dormitantes.
6. Jo. Nic. Seipius de Cultu Dei mechanico.
7. Nic. Nonner de Paraph. S. S. Timens Deum abq. Timor Dei.
8. a. Bernh. Frid. Luisenpains de Notione Filiorum & Filiorum Dei biblicâ.  
b. \_\_\_\_\_ de Notione Filiorum Dei.
9. Christ. Matth. Gaffio de Moralitate, originibus & finibus sacrificiorum in genere.
10. Conr. Sphenius de Institutis & Cerimoniis Legis Moysaicae ante Moysen Continuatio h. Diss.
11. \_\_\_\_\_
12. Franz. Wlfr. Roes de Arcâ Foederis ejusq. Partis & Significatione eorum mysticâ.
13. Lov. Henr. Seelhorpius de Terminis Vaticiniorum N. T. ultimo.
14. Nic. Nonner de Fustitia armorum Israelitarum adversus Canaanos.
15. Jo. Christ. Burgmann de Epochâ N. T. primâ intervellis discernendâ.
16. Jo. Aug. Wulpergerus (Pr. S. S. Baumgarten) de Missione Christiana Dei verâ in dolo, eorumque <sup>(ones vindictis)</sup> recusat. oppositi.
17. Frid. Aug. Schubarth (Prof. Lud.) de Immortalitate Christi & Christianorum.
18. Ad. Frid. Ern. Jacobi (Prof. S. G. Walchio) de Apostolorum Peccatis actualibus.
19. Nic. Nonner de Diffidiis inter vocatos Ex-Judaos & Ex-Paganos tempore Apostolorum.
20. Christ. Aug. Heumannus de Vocatione divina ad Ministerium ecclesiasticum.
21. Christ. Wlfr. Weisenborn (Pr. S. S. Baumgarten) de Veris signis Vocationis divinae ad ministerium ecclesiasticum.
22. Jo. Phil. Fresenius de Prudentiâ pastorali ad signa hujus temporis competita.
23. Jov. Jonath. Clefs (Prof. C. M. Gaffio) de eo quod iustum est circa revocanda vel retinenda delicta occulta, etiam <sup>(atrocia)</sup>
24. Jo. Christ. Guil. Mejeri Commentatio quâ sur Excommunicandi Ecclesia vindicatur.
25. Steph. Savorokian <sup>(Savorokian)</sup> de doctrinâ haeticorum noviter ab Ecclesiâ se avellentium, quem ~~Steph. Savorokian~~ <sup>Georg. Berth. Bilfingerus</sup> in latinum sermonem translatum, examinavit & Notulis suis auxit.
26. Sam. Jo. Christ. Lampert (Prof. F. F. Hillers) de Obligatione ad Martyrium.
27. Joseph. Frid. Bando (Pr. S. S. Baumgarten) de Discrimine Virtutum aeternarum & caesentium post mortem.











20











\* \* ( 0 ) \* \*

21

ones illius laudatae probant, quod est apud sum-  
f. episcopum. Inter huius episcopi Ephesini  
ὅτι ἔδυνη βασισαι κακῆς. Verbum βασιζω  
at baiulare onus quoddam Luc. XIV, 27. inter-  
od latinum ferre Matth. II', 11. Gal. V, 10. siue  
osterior significatus h. l. vi contextus obtinere  
us igitur Episcopi Ephesini adnumeratur, quod  
85, per quos & haereticos (§. 31.) & scanda-  
enerali adpellatione innui, ex v. 14. 15. con-  
in angelo s. episcopo ecclesiae Pergamensis re-  
t mox dicam, quod Balaami discipulos & Nico-  
quos & haereticis & scandalosis adnumeran-  
dubitare poterit, cui errores illorum innotue-  
episcopus Ephesinus haereticos & scandalosos in-  
toleravit, sequitur quod eos ab eadem exclu-  
ec est ipsa excommunicatio (§. 36.), quod eos  
rit. Quum igitur sacra scriptura excommuni-  
um, ab Episcopo Ephesino factum, laude pro-  
iustissimum esse diuinoque iure niti, tamdiu  
ec demonstratum sit, sacram scripturam res il-  
litas laudibus dignari, quod magno Platonis an-

§. 66.

idum, quod eod. Cap. v. 14. 15. legitur, *se- Dicitur II.*

v. 14.

ω κατα σε ὀλιγα, ὅτι εχεις ἐκει κραταντας την  
ελααμ, ὃς εδιδασκε τον Βαλααμ βαλειν σκανδα-  
ν των υιων Ισραηλ φαγειν ειδολοδυτα, κη πορ-

v. 15.

χεις και συ κραταντας την διδαχην των Νικο-  
μισω.

C 3

Quod

26

27